

Adeodatum unanimes in domo. ¹⁾ Voluptates aurium languor meus. ²⁾

Cap. XII.

QUOMODO MATUTINORUM SOLEMNITAS AGATUR.

In matutinis dominico die imprimis dicatur sexagesimus sextus psalmus sine antiphona in directum. Post quem dicatur quinquagesimus cum Alleluja.

Dominicum diem apostoli ideo religiosa solemnitate sanxerunt primogenitus a mortuis. ³⁾ Sabhathum autem datum est Dominus pluit. ⁴⁾

Notandum est, quantum aestimari potest, quia ea ratione dixit *Deus misereatur* nostri et reliq., cantari in directum, qua ratione dixit similiter cantari Domine quid multiplicati sunt in directum ad nocturnum, ut ⁵⁾ ad psalmum *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, possint omnes occurrere. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, sicut S. Benedictus dicit, cum Alleluja debet cani. Cum dicit dicatur centesimus septimus decimus, subaudiendum est: cum Alleluja. Similiter cum dicit sexagesimus secundus, subaudiendum est: cum Alleluja. Similiter cum dicit benedictiones et landes, subaudiendum est: cum Alleluja. In hoc, quod dicit lectionem de Apocalypsi, attendendum est, quia omni dominica sive de Adventu sive de Nativitate? sive de quotidianis dominicis sive de Quinquagesima sive de Pascha, quid dicam? in omnibus dominicis semper lectionem de Apocalypsi debet legi memoriter. Forte dicit aliquis: ad ipsum diem pertinentes lectiones debent legi. Cui respondendum est: verum est, quod ita regula dicit, sed tamen quia possunt inveniri in omnibus dominicis lectiones de Apocalypsi, sive ad omnes festivitates, ideo debes legere secundum hanc auctoritatem regulae semper de Apocalypsi. Similiter intelligendum est

¹⁾ Confess. lib. 9. c. 6—8 num. 14—17. (cf. Migne, 32. col. 769. 770.)

²⁾ Confess. lib. 10. c. 33. n. 49. 50. (Migne 1. c. col. 799. 800.)

³⁾ S. Isidori lib. 1. de off. eccl. c. 24. n. 1. 2.

⁴⁾ S. Isidori lib. 1. de eccl. offic. c. 25. n. 1—4.

⁵⁾ In codicibus ante *ut* mendose scriptum est vocabulum *sequitur*.